



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117816

§. 27. Obitus Maximiani. Proclus Episcopus Constantinopolitanus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

nem solemniter approbasset. Verumta-
men non caret sua utilitate hæc epistola,
quia argumento est, Episcopos usque ad
extremos Orientis angulos persuasum
sibi habuisse, omnibus jus competere,
ut, si se a suis Superioribus vexari, & Ec-
clesiam affligi crederent, ad Papam pos-
sent recurrere. (*)

§. XXVII.

*Obitus Maximiani. Proclus Episcopus
Constantinopolitanus.*

Interea Maximianus, Episcopus Constan-
tinopolitanus, subito fatis functus est,
12ma Aprilis anno 434. cum Aspar, &
Areobindus Consulatum gererent, post-
quam hanc Ecclesiam annis duobus, &
mensibus quinque in pace rexisset. Obit
in Cœna Domini. Nestoriani, quorum
non exiguus Constantinopoli erat nume-
rus, in diversis Civitatis plateis concur-
rentes, magno clamore postulabant, ut
Nestorius revocaretur, ausque, minas
adjicere, ipsam urbem ruinæ proximam
esse, seque Ecclesiam concrematuros.
Theodosius Imperator, ut tumultum
aver-

Sæculum V.
A. C. 434.

Socr. VII. c.
40. Col. Lup.
al. Synod.
Baluz. cap.
150.

(*) Fidele Fleurii Testimonium, quo Anony-
mus II. abunde refutatur. Interpres quoque Aca-
tholicus hæc fideliter transtulit, & cum hic lo-
qui oportuisset, & testimonium luculentissimum
refellere, silet, ut piscis.

Sæculum V. averteret, illico Proclum eligi, eumque possessionem capere curavit, antequam

A.C. 434.

Maximiani corpus terræ mandaretur. **Socr. c. 41.** igitur Proclus Maximiano iusta persolvit. Novus Episcopus ad Lectoratam ad hoc admodum juvenis promotus fuerat, & sub Magistris Rhetoricæ operam navaverat. Virili jam ætate, Episcopo Attico se addixit, cui ab epistolis fuit; cum multum proficeret, Atticus eundem Diaconum ordinavit; ad Presbyteratum deinde evehctus, & a Sisinnio, ut dictum, in Episcopum Cyzicenum ordinatus, qui populus recipere eum noluit, Constantinopoli remansit, & Presbyterorum officio fungebatur. Nihilominus ordinatio ejus ad Sedem Constantinopolitanam translatione ab una sede ad aliam habitata; (*) verum in medium adductæ epistolæ S. Cœlestini Papæ ad S. Cyrillum, ad Joannem Antiochenum, & ad Rufum Thessalonicensem datæ, quæ difficultatem tollebant, & probabant, nihil esse, quod ejusmodi translationibus obsteret. Conjectura est, epistolas istas ante annos duos fuisse missas, cum in locum Nestorii depositi,

(*) Auctoritas Papæ in Translatione Episcoporum hic dispicitur. Interpres Protestans in hac una pagina quater verba Fleurii ineptissime transtulit, v. g. *Melanius*, pro *Melania junior*. Superbia negligentia!

depositi, alius Constantinopoli Episcopus
 esset eligendus. Hujus Translationis
 occasione, Socrates quatuordecim Episco-
 porum, ob Ecclesiæ utilitatem translatio-
 rum, exempla recenset.

Episcopi, qui Proclum elegerant, epi-
 stolam Synodicam dederunt, in Orientem
 missam, ab omnibus Episcopis signandam,
 nisi in pœnam, tanquam Schismatici, de-
 poni mallerent. Proclus optimam Attici
 indolem, cùjus Discipulus fuerat, mori-
 bus retulit, imo mansuetudine, & patientia
 erga ipsos etiam Hæreticos superavit,
 credebat enim, hanc viam illis reducen-
 dis aptiorem, quam si rigor adhiberetur.
 Procli Episcopi tempore Sancta Melania
 junior Constantinopolim venit, a propin-
 quo suo Volusiano rogata, qui cum Romæ
 Præfectus esset, Constantinopolim publi-
 cæ Legationis munere missus fuerat. Ille
 est Volusianus, Tribuni Marcellini ami-
 cus, ad quem olim S. Augustinus scripse-
 rat. Is in Gentilitate permanserat, tunc
 vero Neptis suæ hortatu, & Episcopo
 Proclo fidem docente, conversus est; in
 morbum deinde lapsus, baptizatur, &
 haud diu postea vitam cum morte muta-
 vit. Eodem anno 434. Procli primo,
 Imperator Theodosius legem edidit, ut
 bona Clericorum, & Monachorum, sine
 Hærede decedentium, Ecclesiæ, aut Mo-
 nasterio propria fierent.

Sæculum V.
 A. C. 434.

Socr. V. II.
 c. 36.

Lup. c. 150.

vit. S. Mel.
 ap. Sur. 31.
 Jan. Phot.
 cod. 53.

Sup. XXII.
 §. 51.
 Sup. XXIV
 §. 21.

L. I. C. Theo.
 de bon. Cler.
 lib. 5.

§.XXVIII.